

1035 inventione et numeris ac proportionibus iuxta arithmeticos
breuiter quidem sed satis subtiliter agit.

[110.] Uodalricus, Ratisponensis ecclesie canonicus
ac postmodum Cluniacensis monasterii monachus, multe scientie
multeque patientie vir extitit, quippe qui multas corporis
1040 molestias immissas a domino multasque a falsis fratribus sibi
irrogatas iniurias patienter tulit. Hic multas ad diversos
scribit epistolas, reprehendens eos qui erant reprehendi,
collaudens eos qui erant collaudandi, exhortans eos qui erant
exhortandi.¹ Scripsit etiam venerabili Willihelmo abbati
1045 epistolam in qua reprehendit eum propter irregularem eius,
quam ex Germanicorum abbatum usurpatione, licet simpliciter,
portabat cappam, docens eum non debere transgredi habitum
sibi subditorum cum sciret scriptum: "Ducem te constituerunt,
esto in illis quasi unus ex illis."² Tunc impleta est scriptura
1050 que dicit: "Corripe sapientem et diliget te, doce iustum
et festinabit accipere." Continuo enim, ut una manu accepit
epistolam cappamque sensit reprehensam, cum altera manu
nunquam reinduturus abstraxit eam nec distulit, donec perlegeret
epistolam. Composuit quoque vitam et epitaphium sancti
1055 Herimanni ex marchione monachi, filii ducis Berthaldi, fratris
Gebehardi Constantiensis episcopi.³ Preterea scripsit
volumen consuetudinum Clunicensium monachorum⁴ quod pene
legitur ubique terrarum.